



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

§. I. Conclusio negativa statuitur, & ratione D. Thomæ suadetur,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

creti, sed solum circumstantiæ passibilitatis: Suarez autem, etsi substantiam Incarnationis ex vi primi decreti volitam esse doceat ob excellentiam mysterij, tanquam motum sufficiens, asserit tamen ex vi secundi decreti volitam fuisse non solum circumstantiam, sed etiam substantiam Incarnationis, ob remedium peccati, tanquam motum sufficiens, ut sic salvet Verbum incarnatum fuisse propter nostram salutem; nec inconueniens reputat eundem effectum à duplici causa adæquata finali procedere.

§. I.

Conclusio negativa statuitur, & ratione D. Thomæ
suadetur.

Dico igitur: ex vi præsentis decreti, Verbum Divinum carnem humanam non assumpsisset, si homo non peccasset.

3. Probatur conclusio ratione D. Thomæ hic art. 3. ad hanc formam redacta. Decretum Incarnationis, cum sit supra naturæ debitum, non nisi per revelationem nobis innotescere potest: At quotiescunque Scriptura Sacra, Concilia, vel SS. Patres, quibus Deus suam voluntatem revelavit, de huiusmodi decreto faciunt mentionem, aliam ejus causam motivam non assignant, quàm liberationem à peccato, seu redemptionem hominis à servitute peccati: Ergo ex vi decreti quod Deus habuit de facto, Verbum carnem non assumpsisset, Adamo non peccante. Major est certissima, unde tota difficultas devolvitur ad Minorem, quæ quoad singulas partes probatur.

In primis ergo plura extant Scripturæ testimonia, quibus aperte significatur, Deum non venisse in mundum per Incarnationem, nisi ut peccatores salvos faceret: Matth. 18. & Lucæ 19. *Veni filius hominis querere & salvum facere quod perierat.* 1. ad Timoth. 1. *Fidelis sermo & omni acceptione dignus, quod Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere.* Lucæ 5. *Non egent qui sani sunt medico, sed qui male habent, non veni vocare iustos, sed peccatores ad penitentiam:* quod est idem ac si diceret, non venissem nisi ægroti opus habuissent medico, seu totum humanum genus eguisset redemptione. Denique Joan. 3. Christus dicebat: *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. Non enim misit Deus filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.* Eadem etiam & non alia assignatur ratio à Concilijs, præcipuè à Nicæno in Symbolo fidei, ubi dicitur: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis, & incarnatus est de Spiritu Sancto, & homo factus est.*

5. Accedunt testimonia SS. Patrum: Irenæus enim lib. 5. adversus hæreses cap. 14. sic ait, *Si non haberet caro salvari, nequaquam Verbum Dei caro factum esset.* Athanasius orat. 3. contra Arianos: *Quod autem Filius Dei homo factus est, nunquam accidisset, nisi hominum necessitas causam præbuisset.* Nazianzenus orat. 36. *Quanam humane propter nos suscepta natura causa exiit? Nempe ut nos omnes salutem adipisceremur. Quid enim aliud afferri potest? Cyillus Alexandrinus dialog. 5. de Trinit. circa medium: Si non peccassetmus,*

A neque factus esset nobis similis filius Dei. Ambrosius lib. de Incarnationis Dominicæ sacramento cap. 6. *Quæ erat causa Incarnationis, nisi ut caro quæ peccaverat redimeretur?* Augustinus serm. 8. de verbis Domini, *si homo non peccasset, filius hominis non venisset.* Et serm. sequenti, *Nulla causa fuit veniendi Christo Domino, nisi peccatores salvos facere: tolle morbos, tolle vulnera, nulla est medicina causa.* Item in oratione ad B. Virginem, sic eam alloquitur: *Vt quid nescium peccati pro peccatoribus pareres, si deesset qui peccasset? aut quid mater fieres Salvatoris, si nulla esset indigentia salutis?* Leo Papa Sermon. de Nativitate. *Si homo ad imaginem & similitudinem Dei factus in suo honore permanisset, nec diaboli fraude deceptus, à lege sibi posita per concupiscentiam deviasset, Creator mundi creatura non fieret; neque aut sempiternus temporalitatem subiret, aut æqualis Deo Patri Filius, formam servi & similitudinem carnis peccati assumeret.* Petrus Cellensis Abbas in lib. de panibus: *Non inclinaret cælos partus virginis, si pomum prohibitum non contingeret Eva tactus temerarius.* Denum Abbas Rupertus de operibus Spiritus Sancti cap. 6. Christum alloquens, *Et siquidem (inquit) multum tibi debemus nos Deus Christe, quia homo factus es: At tu è contra multum nobis debes homo Christe, quia propter nos in Deum assumptus es: nam nisi fuisset peccatores, causa cur tu assumi in Deum deberes, nulla fuisset, &c. Nisi peccassent servi, nec assumpta fuisset in Dominum Deum natura servilis.*

Huic rationi D. Thomæ duas adhibent responsiones Adversarij. Aliqui enim in primis dicunt Scripturam, & SS. Patres, non assignare quidem aliam rationem Incarnationis, quàm reparationem generis humani, sive remedium peccati, sed ex hoc non sequi eam esse solam, aut etiam præcipuam, quia ex autoritate negativa nihil concluditur.

Verùm hæc responsio nullius est momenti: cum enim de illis quæ ex sola Dei voluntate dependent, non possumus aliam habere notitiam, nec aliter sentire, quàm secundum quod in Sacra Scriptura traduntur, & ex sola Dei voluntate pendeat ordinare Incarnationem ad hunc aut illi finem, bene sequitur quod si non alia assignatur illius ratio à Scriptura & SS. Patribus, præter generis humani reparationem, non aliam quoque nos assignare possumus.

Addo quod in rebus magni momenti, optimum est argumentum ex autoritate negativa Sacra Scripturæ: unde quia Scriptura Sacra ubi loquitur de mundi creatione, unius tantum mundi facit mentionem, per legitimam consequentiam deducimus esse tantum unum mundum. Similiter quia facit tantum mentionem de Incarnatione secundæ personæ Trinitatis, credimus eam tantum fuisse incarnatam. Item quia tres solum personas in Deo nominat, nusquam verò quatuor, tres tantum esse personas in Deo, ut certissimum fidei dogma recipitur.

Addo etiam quod aliqui ex SS. Patribus jam citatis, non solum dicunt Verbum fuisse incarnatum, ob reparationem generis humani, sed insuper etiam asserunt, quod non fuisset incarnatum, peccato non existente; & sic hæc solutio eorum testimonijs applicari nequit.

Secundò respondent Scoti Discipuli, Scripturam, Concilia, & SS. Patres, locis citatis, assi-

gnare solum rationem Incarnationis quoad modum, non autem quoad substantiam; quia scilicet facta est in carne passibili, propter remedium peccati, non autem absolute quoad substantiam: unde dicunt quod si Adam non peccasset, Verbum non fuisset quidem incarnatum in carne passibili & mortali, absolute tamen, & quoad substantiam, incarnatum fuisset.

10. Sed hæc responsio, quæ est azylum ordinarium Adversariorum, facile potest convelli. Primò quia SS. Patres non dicunt quod Deus propter nos factus est passibilis, humanitate assumptâ, sed asserunt quod propter nos factus est homo: Neque dicunt propter se assumpsisse naturam humanam, & propter nos tantum eam addidisse passibilem, sed asserunt absolute propter nos assumpsisse ipsam naturam humanam.

11. Secundò SS. Patres locis citatis asserunt, quod nisi homines indiguissent redemptione, Verbum non esset homo, nec fieret creatura: Sed hoc non potuissent asserere absolute, si non existente peccato Verbum fuisset incarnatum absolute & quoad substantiam, licet non in carne passibili; quia homo impassibilis est verè & propriè homo, & creature impassibiles, ut Angeli, sunt æque propriè creature, ac passibiles: Ergo hæc solutio menti Sanctorum Patrum non congruit.

12. Tertiò sequitur ex hac solutione improprie dici in Symbolo, Verbum Divinum propter nostram salutem descendisse de cælis: Sed hoc non est dicendum: Ergo nec illud. Sequela probatur. Idem est Verbum propter nostram salutem descendisse de cælis, & fuisse carnem factum propter nostram salutem: At improprie affirmatur assumpsisse carnem propter nostram salutem, si nostra salus non fuit ratio aut motivum Incarnationis quoad substantiam, sed solum quoad modum, seu circumstantiâ passibilitatis: Ergo nec propriè salvatur ipsi propter nostram salutem descendisse de cælis.

13. Quartò contra hanc solutionem bene argumentatur Vazquez hic disp. 10. cap. 4. ubi sic discursat. Id quod potest fieri duobus modis, ex eo quod uno ex illis non fiat, non dicitur absolute non fieri, cum absoluta negatio omnem modum excludat: Ergo si Adamo non peccante Christus veniret, licet in carne impassibili, falsa esset absoluta Patrum locutio asserentium non venturum Christum, Adamo non peccante.

14. Confirmatur & magis illustratur hic discursus isto exemplo. Sicut qui dicit Regem v. g. hodie non venturum in istam civitatem, non tantum asserit ipsum non venturum hoc vel illo modo determinato, videlicet armatum, vel non armatum, in curru, vel extra currum; sed absolute, sive quod nullo modo veniet; quia nimirum negatio est adeo, ut vulgò dicitur, malignantis naturæ, ut totum destruat. Ita similiter SS. Patres qui affirmant absolute, simpliciter, & sine ulla restrictione, Christum venturum non esse, Adamo non peccante, censentur velle ipsum nullo modo venturum, neque in carne passibili neque impassibili.

15. Denique D. Chrysostomus serm. 1. Pentecost. ait: *Deo chara est Ecclesia, propter Ecclesiam enim extensum est cælum, diffusum est mare, extensus aër, fundata terra &c.* prosequitur eodem modo dicere totius mundi naturalis constitutionem esse factam à Deo in gratiam Ecclesiæ; deinde subicit de ordine supernaturali, & miraculoso: *Propter Ecclesiam pelagus scindebatur, fidebatur petra, sivebat manna de cælo &c.* Propter Ecclesiam Propheta, propter Ecclesiam Apo-

A soli, imò propter Ecclesiam unigenitus Dei factus est homo. Hæc Chrysostomus, cujus ratio loquendi postulat, ut quemadmodum in gratiam Ecclesiæ facta est substantialiter cæli & terræ creatio, ac effectio miraculorum, & institutio prophetiæ ac apostolatus; ita & Incarnatio quæ unigenitus Dei Filius factus est homo, sit substantialiter propter Ecclesiam, & non solum quoad modum seu circumstantiam passibilitatis. Unde Apostolus 1. ad Corinth. 2. *Loquimur Dei sapientiam in mysterio quæ abscondita est, quam predestinavit Deus ante secula, in gloriam nostram.* Sapientia autem illa est Verbum incarnatum, ut patet ex verbis sequentibus: *Quam nemo principum hujus sæculi cognovit, si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent:* Ergo ex Apostolo sapientia Dei incarnata, subindeque Incarnationis mysterium, quoad substantiam, in gloriam & salutem hominum prædestinatum seu decretum fuit.

§. II.

Alia ratio fundamentalis nostræ conclusionis expenditur.

16. Secunda ratio fundamentalis nostræ conclusionis sic breviter proponi potest. Cum Deus Incarnationem primò efficaciter decrevit, voluit Verbum incarnari in carne passibili: At decretum Incarnationis in carne passibili pendet à præscientia peccati Adami: Ergo si Adam non peccasset, Deus ex vi decreti quod habuit sese hypostaticè communicandi naturæ humanæ, nullo modo incarnatus fuisset. Minor & Consequentia patent, Major verò, in qua est difficultas, sic ostenditur. Cum primò Deus efficaciter voluit Incarnationem, vel voluit Verbum incarnari in carne impassibili, vel in carne passibili, vel absolute, in communi, & quoad substantiam, nihil in particulari decernendo de passibilitate aut impassibilitate: Primum aut tertium dici nequeunt: Ergo secundum necessariò asserendum est. Major patet ex sufficienti enumeratione omnium modorum quibus potest intelligi Deum primò decrevisse Incarnationem Verbi. Minor autem probatur primò quoad primam partem. Si Deus primò voluisset efficaciter Verbum incarnati in carne impassibili, de facto assumpsisset carnem impassibilem: Sed hoc est contra fidem passionis & resurrectionis Christi: Ergo &c. Sequela patet, alias enim unum è duobus necessariò esset admittendum, aut quod primum illud Incarnationis decretum non fuisset efficax, & sic non fuisset sortitum effectum, Adamo non peccante, aut quod fuit postea mutatum in subsequenti signo rationis, suppositâ permissione & prævisione peccati, per aliud decretum quo Deus Incarnationem prius prædestinatam in carne impassibili, voluit esse in carne passibili in remedium peccati, quod repugnat immutabilitati Dei & perfectioni suæ providentiæ, quæ non est incerta & volubilis, sicut nostra, ob limitationem intellectus nostri & voluntatis.

17. Probatur etiam secunda pars. Duobus modis fingi potest Deum voluisse primò Incarnationem, seu unionem hypostaticam, abstrahendo à carne passibili aut impassibili: Primò scilicet, ita ut solum in communi & quasi in confuso decreverit assumere naturam aliquam creatam, non deter-

K k x ij